



PETRI BEMBI RERUM VENETARUM HISTORIAE

LIBER IX.



Patavio recepto, Monsilice, Ateste, ple-
raque alia agri Patavini municipia par-
vo negotio ad rempublicam redierunt.
Maximilianus, qui Marosticæ tunc erat
(id est municipium in primis Alpium
jugis, abestque Patavio millia passuum
vigintiquatuor) veritus ne interciperetur,
euestigio Tridentum abiit. Senatus sex ex plebe homines
fide præditos a Patribus legendos censuit, qui sex Pata-
vii portas custodirent cum triginta militibus quilibet. &
quod magnum rusticorum hominum studium in Rempu-
blicam extiterat, eos immunes annos quinque iussit esse,
fisci reliquis etiam remissis. Dum hæc decernerentur, a
Maximiliano literæ ad Senatum venerunt, pridie quam
Patavium reciperetur datæ: quibus literis rex petebat, ut
Aloisium Mocenicum ad se Marosticam Patres mitterent.

1509
*Veneti oppi-
da multa re-
cipiunt.*